



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

cxlix [i.e. viii]. Continuum est, cuius extrema sunt unum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

dicere, non dantur decem entia; adeoque dicere, dantur infinitæ negationes, idem est, ac dicere, non dantur infinita entia in numero, quæ est ipsa nostra doctrina. Præterea etsi suo modo existant, non tamen existunt ut collectivè acceptibiles, quia non possunt cognosci nisi ad terminos, nimirum entia realia; positiva, collectivè inacceptibilia.

VIII. CONTINUUM est: *cujus extrema sunt unum*: id est, *cujus partes integrales sunt unum per unionem physicam; quæ partes, prout sunt simul tempore, vel una post aliam, constituunt continuum permanens, ut lignum, vel successivum, ut dies: item prout ut sunt vel entitativæ, vel quantitativæ, vel graduales seu intensivæ, continuum componunt entitativum, vel quantitativum, vel intensivum. Porro hæ partes aliæ dicuntur aliquotæ, æquales, determinatæ, non communicantes, utpote quæ ad invicem comparatæ sunt æqualis magnitudinis, aliquoties repetitæ, & certo numero expressæ totum continuum adæquant, quarum una ab altera nihil participat, sed adæquatè distinguitur, tales partes aliquotæ continui ulnaris,*

V. g.

v. g. sunt quatuor palmi. Aliæ dicuntur *proportionales*, eo quòd non secundùm æqualitatem, sed proportionem inter se comparentur; sicut enim se habet medietas ulnæ ad ulnam, sic se habet medietas hujus medietatis ad mediam ulnam, & sic consequenter: *inæquales*; eo quòd medietas v. g. medietatis non sit æqualis mediæ ulnæ: *in determinata*, non quòd in se determinatæ non sint, aut quòd constituent aliquid in se indeterminatum, sed quòd nullum habeant parvitas terminum, possintquè in minores & minores dividi: *communicantes*, eò quòd una pars semper aliquid participet de aliis v. g. medietas medietatis ulnæ partem medietatis ulnæ, adeoque inadæquatè solùm inter se distinctæ, non quòd medietas medietatis ab altera medietate medietatis ulnæ distinguitur inadæquatè, sed quòd medietas à medietate, cujus ipsa est medietas, sic distinguitur. Unde etiam eadem medietas medietatis ulnæ considerata in ordine ad tres alias partes ulnæ sibi æquales, & secùm determinatæ magnitudinis, erit aliquota; considerata verò tantùm ut medietas medietatis continens in se alias medietates & medietas

dietatum medietates, dicitur proportiona-  
lis.

IX. Non componitur continuum ex punctis inflatis seu physicis, id est, formaliter indivisibilibus, virtualiter divisibilibus, quatenus occupare possunt locum divisibilem ad modum Angeli, qui & propterea dicitur virtualiter divisibilis; forent enim hæc puncta omnino materialia tota in toto spatio, & tota in qualibet parte spatii, qui modus præsentiaæ juxta consensum Philosophorum solis rebus spiritualibus est naturalis, & corpori Christi in Eucharistia supernaturalis. Ad hæc, linea constans punctis imparibus non poterit æqualiter dividi, eò quòd ab alterutra parte tenere se debeat punctum illud intermedium indivisibile.

X. Nequè componitur ex meris formaliter & virtualiter indivisibilibus seu punctis mathematicis. Primò enim, cum punctum unum ab altero in linea debeat immediatè tangi, ut fiat continuum, tangent se puncta invicè adæquatè sive se totis (cum nequeant se tangere secundùm partes, v. g. secundùm latus orientale, utpote quales partes non habet indivisibile) adeoque punctum  
secun-